superati senenses omissa resistendi spe in fugam vertuntur.
Magna eorum strages per iram & indignationem superioris
vastationis edita est. Qui vero eorum a cede superfuerunt ma
xima ex parte capti sunt. & aretium ducti. Florentini vero
nihil penitus eorum sentientes necubi intermisso itinere
laterinum pervenerunt. Ibi cum paulo post deletas senensium
copias cognovissent quamquam graviter eos angebat sociorum casus
& iactabat quidam ad comprimendam aretinorum insolentiam exer
citum esse reducendum, tamen vicit eorum sententia qui tuta magisque
speciosa suadebant. Itaque parte equitatus laterini relicta que
aretinorum cohiberet impetum reliquas omnes copias florentiam
reduxere. Dum ea geruntur in arretinis alia insuper belli
materies apud pisanos exoritur. Vgolinus enim comes cuius
mentionem supra fecimus Vgolinum gallure iudicem hominem
& studio partium & consanguinitate sibi coniunctum pisis pe
pulit. Ipse malo consilio cum diversarum partium hominibus in
gratiam rediit: a quibus non multo postea captus in carcerem truditur.
At Vgolinus gallure iudex ceterique pisani cives per factionem
eiecti ad lucensium florentinorumque opes confugientes causa fue
runt federis inter civitates renovandi. Itaque eodem anno au
xilia equitum peditumque a florentinis missa una cum luce
sibus agrum pisanum intrarunt. Ibi coniunctis pisanorum exu
libus bellum pisis intulerunt. Eodem anno florentie exalta
ta est circa baptisterium area & lateritio opere constrata
cementis de industria congestis: quo reliquae urbes superficiei
par esset. pecunia ad eam rem perficiendam ex erario prom
pta. Pontis etiam ad heram fluvium Id enim castellum
in florentinum populi ditionem paulo ante pervenerat arx &
turres insigni opere communite. Civesque ad eius loci custodia

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_941/0165
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG